



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Philosophistæ Seu Excerpta Pauca Ex Multis Libris, Thesibus, Dictatis Theologicis

[S.l.], [ca. 1692]

1688. Idem sub eodem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39173

ratione summi & infiniti boni agniti, passim etiam negant peccatum Philosophicum æternas pœnas sensûs mereri, cùm illud non sit formalis offensa Dei sub ratione summi & infiniti boni agniti. An non rectè? Nobis quidem ita apparet. Sed apud timoratos iudicium esto.

IDEM COLLEG. LOVAN.

Idem in Thesibus anni sequentis eadem repetit in octava Conclus. Quosdam, inquit, offendit peccatum Philosophicum. Offendere, ut à nobis exponitur, nisi fallimur, non potest. Per illud enim peccatum intelligimus quod cum invincibili Dei ignorantia committitur contra rationem, seu cum cognitione legis naturalis, non tamen cum cognitione legis divinæ, sed cum ignorantia invincibili Dei ejusque legis. Neque etiam negamus per hoc offendi Deum, sed offendi negamus formaliter, id est, sub ratione Dei ut boni infiniti agnitum: quod nobis sanè rectum videtur & manifestum. *Et quia tunc istius dogmatis absurditas cœperat innotescere, subjungit:* Neque, quæ hinc invidiosa deduci possint, Corrollaria videmus. Unum nos tantùm inferimus peccatum hoc non mereri pœnas sensûs æternas, hoc nixi argumento. Ideò præcisè quis illas incurrit, quia graviter formaliter offendit Deum sub ratione summi & infiniti boni cognitum. Philosophicum autem cum illa cognitione non committitur. Igitur pœnas illas sensûs æternas non meretur; aut illas Philosophicè peccans non incurrit. Nobis certè ea rectè dici posse videntur: Et cur non omnibus?